LECTIONES THEOPHRASTEAE.

Quanquam paucos fore credebam, qui libros de plantis a Theophrasto scriptos legere vellent, tamen operae pretium esse duxi id opus, quod diu tanquam desertum jacebat atque vel post doctissimi *Schneideri* recensionem, exposita etiam codicis antiquissimi, qui in bibliotheca Vaticana exstat, Urbinatis scriptura, novam correctionem exspectabat, retractare. Libros *de historia plantarum* emendatos, quantum id in me erat, cum apparatu, quem vocant, critico ante biennium edidi, cujus editionis, qui nunc est rei literariae status, nulla fere vel habita est ratio vel facta est mentio. Quod quidem mihi haud praeter exspectationem evenit. Nihilominus ego ab eo officio, cui horis subsecivis me dederam, me non revocari passus, alteri Theophrasti opusculo phytologico, quod *de causis plantarum* inscriptum est, operam dare haud intermisi, quod equidem non falso quodam antiquitatis amore deceptus neque alio modo praeoccupatus plurimi facio atque propter rerum et copiam et subtilitatem inter optima monumenta antiquitatis referendum esse censeo. Quod propediem demonstrabo Theophrasti doctrinam de plantis sermone germanico expositurus. Quibus libris emendandis si quid ipse possem conferre, id bonae frugis esse ratus, haud incommodum censui hunc emendationum syllabum cum hominibus harum rerum literarumque peritis communicare, quibus exemplis ostenderem quo quis iure in hoc scriptore arte conjectandi uti quantumque per eam pro-

ficere possit. Sunt enim loci sat multi, hodiedum in libris editis adeo depravati ut sententia vel nulla vel falsa compareat, qui codicum scripturis bene perpensis, i. e. literarum ductu apicibusque observatis neque non mutationum, quas subire solent, ratione habita, sententiarum nexu explicato, locis parallelis comparatis, ita refingi possint, ut vel ipsa vetus scriptura appareat vel ea, quae proxime ab illa abesse videatur.

Vratislaviae, d. VIII. Martii 1844.

Fr. Wimmer.